Quæstio Medica Cardinalit. disput. agit.da In Schol. Medic.rum

die Jovis 3° Maii disceptatore prudentiss. D. Petro Laffileo Reg. medico.

An ut Morbi statis Periodis moventur, Ita et Judicantur?

Præfinitis temporum spatiis actiones suas perficiunt Natura et certo ordine (sine quo nec Meditata est Nec protulit quicquam) Constanti motu temporum vices, tempestatumque commutationes moderatur, Macrocosmus statis temporibus agit progressionibus, atque regressionibus, cuiusque viventis constitue partium et vitam certis circumscribit finibus. In Homine sublunarium perfectissimo, tres animæ facultates dum suas edunt functiones statam motus et quietis vicissitudinem servant. atque etiam humoribus mutua inest movendi et quiescendi consuetudo, prima quidem diei parte quæ veris analogiam præ se fert, sanguis in motu est, bilis meridianâ, cui æstas, Niger humor vespertinâ cui autumnus proportione respondet. Pituita est tenebrarum cui tristis hyems non absimilis. Singula quinetiam in corpore coctionis, et excretionis definitum habent terminum.

Nec secus in ἀρχείᾳ continentium, contentorum, et impellentium quæ morborum causæ sunt Intemperies et Congestiones sive quantitate excedunt, sive qualitate sua in vitio sint, statis periodis suas actiones suscipiuntur et absolvuntur. dum æqualia et similia eademque tractu temporis eadem colliguntur excrementa. Sic mulieres, et alteros crurum mutili certo mense collectionis diu sanguinem profundunt. Hæmorrhoici vere et autumno, Juvenes æstate.

Humores quidem, dum ubi à naturali constitutione discesserint, alienas qualitates contrahunt, alias intra Maiores venas unde continuas et continentes febres, alias extra vasa unde intermittentes, quarum omnium status motus et προθεσμία. Ephemeras quas in solis spiritibus sine inflammatione partium, aut humorum putrefactione constituunt, eodem incipiunt et terminantur die. Hecticas quas partes solidas invadunt, Natura jam causis morbificis occupata sero sive in marasmum desinunt.

At vero quæ ex visceribus particulares alicuius inflammatione, aut erysipelate oriuntur febres symptomaticas sunt et continuarum generis, ac intra primas periodos dierum criticorum judicantur. Sic ea quæ quarto die in capitis νόσῳ incidit, undecimo judicatur. Tumor autem et inflammatio motus et naturam humoris à quo fiunt sequuntur.

Omnes tamen Morbi eo celerius moventur et judicantur quo facultas excretrix potentior, humor calidior, pars affecta venis, primum succensus calor nobilior, rarior, et acutioris sensus, atque ad cordis corporis vitam magis necessaria. Nulli tamen ante septimum diem nec nisi præcedentibus coctionis signis judicantur, ac perfectius quidem, et tutius septimo die, et 14°. quam cæteris. Nec vero diebus tantum, sed etiam mensibus, et annis judicantur morbi, ac alii quidem non nisi binis, alii non nisi ternis annorum septimanis terminantur.

Ergo ut Morbi statis Periodis moventur, Ita et Judicantur.

Deffendebat Gabriel Droynus Matisconensis 1584.

BIBLIOTHEQUE